Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2753
Quelle:
Copyright:

des *Andreae* anno priore vergente contigit, nec levi infamia *Joannam* uxorem, mulierem virorum adpetentissimam, notavit, quanquam *Clemens* ad id caecutire videretur. Sententiam ejus in parricidas latam *kal. Febr. Raynaldus* ad *b. a.* Annalibus suis inseruit; de praevia vero Deliberatione nostra cum Coetu Cardinalium habita tacet. Verum *Baluzius supracit.* p. 860. loca quaedam ex ea, et speciatim diram Regis necem depromit, unde ejus narrationi hic supersedeo. Autori praeterea *Secundae Clementis Vitae* a *Baluzio* ibid. publicatae notum fuit Thema ejus; ita enim p. 270. scribit: *In sermone, quem super hoc luculentissime fecit, cujus Thema fuit:* Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, *debitam compassionem et justam mentis turbationem ostendit.* Ita vero orditur: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Gen. 4°. Videtur quod auditur et exauditur vox clamantis et querelantis specialiter propter quatuor* &c. De *Andrea* sic: *Nos eum sublimaueramus in regem et volueramus tytulo regio insigniri et de nouo ipsum mandaueramus per episcopum carnoten.* (Guilelmum) *vna cum karissima filia nostra Johanna regina Sycilie consorte sua inungi et coronari. Ipse enim erat nobis non solum spiritualiter ymo et temporaliter immediate subiectus, Et ecce sperabamus futurum magnum ecclesie defensorem, subito in ortu suo sicut flos decidit* &c. Demum concludit: *Vnde ne sanguis eius de manibus meis exquiratur, processus super hoc de fratrum nostrorum consilio — duximus ordinandos duo in genere continentes videlicet primo penas in genere contra tanti sceleris patratores, Secundo continentes et sententias contra eos, qui sciunt, nisi reuelauerint cardinalibus, quos mittimus, infra certum tempus. Tercio cogitamus facere et aliquos, quos per informacionem suspectos reperimus, ut personaliter cytarentur* (et) *comparerent coram nobis iusticiam recepturi* &c. Supplicia sumta recenset *Raynaldus* ad an. 1346. n. 51. quae ut tunc evaserit *Johanna* regina, ultorem non evasit *Carolum*, dictum *Parvum*, *Dyrrhachinum.*

Fol. 161. *Sermo factus per Sanctissimum patrem et dominum nostrum dominum Clementem diuina prouidentia papam VI. in canonizacione recolende memorie domini yuonis beloy* (sive Hallory) *presbiteri Trecoren. dyoc. pontificatus sui anno VI°.* Novit Sermonem hunc *Baluzius*, eumque excerpit in *not. ad Vitas Papar. Aven.* T. I. p. 881. Norunt et Hagiographi *Antverp.* ex *Cod.* sibi dono dato a *Jacobo Dineto* S. J. Franciae tunc Praep. Provinciali, ut videre est T. IV. *Maji p.* 578. ubi tota Canonizationis formula, in quam Sermo definit, legitur. Sermonem porro ipsum gallice versum exhibet *Albertus le Grand* O. P. in opere inscripto: *La Vie, gestes, mort et miracles des Saints de la Bretagne Aremorique* &c. *Nannetis* 1637. 4. Itaque non nisi principium ejus adscribam,